

06 12



INDEX LECTIIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXI—XXII.

INSTITUENDARUM.

D. LAUR. FEI. D.

PROF. DR. FRANC. DITTRICH

PRAECEDIT PROF. DR. FRANC. DITTRICH COMMENTATIO QUID E S. PAULI SENTENTIA LEX MOSAICA
IN MORIBUS SPECTAVERIT.

BRUNSBERGAE,

TYPIS HEYNEANIS.

1871



LIBRARY OF THE

UNIVERSITY OF TORONTO

1877

THE UNIVERSITY OF TORONTO

LYCEI REGII HOSIANI H. T. PRORECTOR

DR. LAUR. FELD T,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄZNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

Stadtbibliothek
Chemnitz

AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S
CIVIBUS SUIS

S.

1. Innumerabiles inter difficultates primis evangelii praeconibus superandas haud minima erat magna illa ac paene miranda Iudaeorum in legem Moysis reverentia. Multi enim accurata legis observantia salutem se consequi posse arbitrati¹⁾ aures praedicationi evangelii penitus praecluserunt, illi vero, qui Christo nomen dederant, quum persuasum haberent, nunquam finem habituram esse legem mosaicam, sed in posterum etiam tanquam *πρόναον* quendam fore religionis christianae, non solum sibi omnia legis praecepta accurate servanda, sed etiam eos, qui relictis deorum templis sese ad christianam religionem converterant, adducendos esse duxerunt, ut legi sese submitterent et ita quasi per gradum quendam ad summam veritatem ascenderent. Quae opinio quanto religioni christianae propagandae impedimento fuerit, facile intelligitur. Ethnicis enim jugum legis imponere, quod ipsi Iudaei vix ferre valebant²⁾, idem erat ac illis aditum salutis impedimentis vix superandis obstruere³⁾. Porro si apostoli legis observantiam tantum ad salutem consequendam valere concessissent, quantum eam valere Iudaei contendebant, nonne magnopere timendum erat, ne operis redemptionis vera vis ac virtus obtegeretur et obscuraretur? Quod ita esse nemo apostolorum rectius meliusque S. Paulo perspexisse ac sensisse videtur⁴⁾. Et qui quondam „supra modum persequebatur et expugnabat ecclesiam Dei et proficiebat in iudaismo supra multos coetaneos suos, abundantius aemulator existens paternarum traditionum“⁵⁾, munus suscepisse videbatur, evangelii jura et honorem a mosaismi arrogantia defendendi, id quod eo facilius assequi potuit, quum omni, qua tunc Iudaei excelebant, doctrina satis instructus esset.

2. Recte tunc plebis duces et doctores Pharisei finem, in quem omnes hominum actiones tenderent, esse justitiam (*δικαιοσύνη*) docuerunt, non ita recte de via sentientes, qua ad hunc finem posset perveniri. Credebant enim, hanc se justitiam diligenti atque accurata omnium legis praeceptorum observantia consequi posse, alius justitiae quam vitae cum legis litera plene consentientis neque cognitione imbuti, neque desiderio ducti, quanquam prophetae iterum atque iterum ne hanc quidem observantiam legis sufficere docuerant. Quem communem tunc omnium errorem quum apostolus refutare niteretur, pluribus etiam de legis mosaicae in mores Iudaeorum formandos vi ac valore disserit simulque, quo in moribus spectaverit, exponit.

Quae priusquam explanemus, statuendum nobis est, quam legis notionem seu quaenam legis praecepta apostolus in mente habuerit. Notum est enim, tres potissimum quasi partes legis distingui,

1) Cf. Rom. 9, 31. 32. — 2) Cf. Matth. 23, 4; Luc. 11, 46; Gal. 5, 1; Act. 15, 10. — 3) Cf. Act. 15, 19. — 4) Gal. 2, 11; 2, 21; 4, 11; 5, 2. — 5) Gal. 1, 13. 14.

quarum una praecepta mere moralia, altera caerimonialia, tertia amplectitur judicialia. Quaeritur igitur, utrum S. Pauli animo praecepta tantum caerimonialia et judicialia, an etiam moralia, an omnia simul observata sint. Non omnes sacrae scripturae interpretes hac de re plane consentiunt; quum enim antiquiores, e quibus Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, M. Victorinum nomino, Paulum opera sola quae dicuntur legalia intelligi voluisse contendunt, alii, recentiores dico, alii addicti sunt opinioni. At rem diligenter perspicienti manifestum erit, apostolum revera ab operibus legalibus initium fecisse impugnandae legis eaque persaepe sola spectare⁶⁾, nec tamen in his solis subsistere, sed omnia simul, non exceptis praeceptis moralibus, in disceptationem vocasse⁷⁾. Ubi igitur apostolus de legis vi et auctoritate, nulla distinctione facta de universa lege agit, i. e. de omnibus illis praeceptis et moralibus et caerimonialibus et judicialibus, quibus omnis vita Iudaeorum et privata et publica continebatur et regebatur, ne illis quidem observationibus minutissimis exceptis, quibus Pharisei veluti septo quodam legem circumdederant⁸⁾. Et revera, ubi quaeritur, quid valuerit lex Moysis in vitam et mores Iudaeorum formandos quove spectaverit in moribus, nescio quomodo vel minima praecepta excipere potuerit, quum omnia pari jure a summo Deo sancita sint hominumque voluntatem obstringant⁹⁾ ac proinde universae legis indoles sit moralis. Aliter judicandum erit, si non de legis vi morali, sed de abrogatione quaestio est.

3. Hujus igitur legis vel diligentissima atque accuratissima observantia neminem ad salutem, quae ἐν τῷ δικαιῶσθαι παρὰ τῷ θεῷ posita est, pervenire posse ut ostenderet, apostolus locos aliquot sacrae scripturae laudaverat, e quibus eluceret, non nisi ex fide justitiam provenire posse¹⁰⁾, unde conjecit, legem ne latam quidem esse eo consilio, ut ad salutem perduceret¹¹⁾. Rerum etiam eventu docet probatum esse, ex operibus neminem justificari; nam teste scriptura Iudaeos, quamvis legem habuerint bona quaeque jubentem et transgressoribus poenas gravissimas minitantem, vix melius sese gessisse populis vicinis omnesque ad unum peccatorum vinculis fuisse obstrictos¹²⁾. Non ignorantes, quid sibi faciendum quidve fugiendum, eos servos factos esse peccati¹³⁾, et mandatum, quod bonum fuerit et ad vitam, factum esse ad mortem¹⁴⁾. Quare apostolus non dubitat legem vocare legem mortis¹⁵⁾, legem peccati et mortis¹⁶⁾ virtutemque peccati¹⁷⁾. Cujus rei causam hanc esse docuerat, quod nemo ad illam perfectam atque absolutam legis observantiam pervenire potuisset, quam lex ipsa viam salutis consequendae ac conditionem statuit¹⁸⁾.

4. Hisce S. Pauli argumentis permulta sane erant, quae Iudaei possent objicere et revera videntur¹⁹⁾ objecisse. Convicium enim ingessisse videbatur non solum legi, quam Iudaei tanto honore ac reverentia prosequerentur, sed ipsi Deo legislatori. Quid? legem ab ipso Deo latam et solemniter confirmatam, quam observantes tot Israelitae non tenuem virtutis sanctitatisque laudem sibi acquisierant, nihilne valuisse ad mores hominum emendandos salutemque consequendam? Quae si ita essent, cur tandem lege opus fuit? Porro si nemo legis praecepta omnia explere valebat, nonne consequens erat, ut laqueis peccati sibi subditos irretiret ac proinde mala esset et reprobanda? Nonne ipse Deus, auctor legis, simul auctor factus est peccati?

⁶⁾ Gal. 3, 3; 4, 3, 9; cf. Act. 13, 38.

⁷⁾ Cf. August. Expos. in Gal. 3, 1 (n. 19): Haec quaestio ut diligenter tractetur, ne quis fallatur ambiguo, scire prius debet, opera legis bipartita esse. Nam partim in sacramentis, partim vero in moribus accipiuntur. Ad sacramenta pertinent circumcisio carnis, sabbatum temporale, neomeniae, sacrificia atque omnes hujusmodi innumerae observationes. Ad mores autem, non occides etc. Nunc ergo de his operibus maxime tractat, quae sunt in sacramentis, quanquam et illa interdum se admiscere significet etc. — Augustinum non injuria recentiores interpretes secuti sunt. Cf. Reithmayr, Commentar zum Briefe an die Galater S. 182.

⁸⁾ Cf. Sepp, Geschichte der Apostel, XV. — ⁹⁾ Deut. 27, 26; cf. Gal. 3, 10. — ¹⁰⁾ Hab. 2, 4; cf. Rom. 9, 31, 32; Gal. 3, 6 sequ. — ¹¹⁾ Gal. 3, 21 sequ.; cf. Rom. 11, 32. — ¹²⁾ Rom. 3, 9—19; 6, 14, 19, 20, 21; 7, 5; 11, 32; Gal. 3, 22. — ¹³⁾ Rom. 2, 21—25. — ¹⁴⁾ Rom. 7, 10, 13. — ¹⁵⁾ Rom. 7, 6. — ¹⁶⁾ Rom. 8, 2. — ¹⁷⁾ I. Cor. 15, 56. — ¹⁸⁾ Deut. 27, 26; Gal. 3, 10; 5, 3; Rom. 10, 5; cf. Iac. 2, 16. — ¹⁹⁾ Gal. 3, 19; Rom. 3, 8; 6, 1; 6, 14; 7, 7, 13.

5. Quas adversariorum objectiones tantum abfuit, ut Paulus subterfugeret, ut, qui nullam reformidabat difficultatem, has quoque pro sui ingenii acumine refelleret ac solveret idque non modo falsis conclusionibus negatis ac rejectis, sed accurate exposita ea, quae intercedit inter legem et peccatum necessitudine. Tali modo respondet simul ad quaestionem, quo spectaverit quidque valuerit lex mosaica ad mores Israelitarum emendandos et salutem consequendam. Utitur autem apostolus hac de re disserens, ut assolet, tam difficili saepe atque obscuro dicendi genere, ut, ubi difficultates solvere nititur, eas auxisse videatur, quumque saepe oratio ejus ab eo, quod est propositum, longius deflectat ad alia, pluribus demum sententiis interpositis eo reversura, unde exorsa est, fit, ut non admodum facile sit statuere, quid Paulus de re proposita senserit ac docuerit, unde etiam magna illa inter sacrae scripturae interpretes dissensio repetenda est.

6. Ac primum quidem apostolus ita adversariorum objectiones refellere studet, ut legi mosaicae iterum atque iterum illum vindicet scopum, quem cujusvis legis positivae finem agnoscere necesse est. Fert enim ita natura legis positivae, ut legi naturali in cordibus hominum inscriptae succurrens doceat, quae bona quaeve mala sint, impellatque ad bonum, malum vero coerceat ac reprimat et ita animos hominum ad veram humanitatem et ad vitam legi divinae congruam perducatur. Quapropter etiam lex mosaica nihil aliud spectare debuit, quam ut naturalem veri bonique cognitionem primi hominis culpa non dico amissam, at diminutam atque obumbratam suscitaret augetque, intellectum nova luce illustraret, voluntatem vero, cujus naturalis ad bonum inclinatio debilitata ac fere fracta erat, sanaret corroboraretque ad ea perficienda, quae bona rectaque esse ratio cognoverat. Neque aliter S. Paulus de legis indole ac fine sensit. Multi enim in epistolis praesertim ad Galatas et Romanos nobis occurrunt loci, qui amplius de vera apostoli sententia dubitare nos non permittunt. Primum non semel lege obumbratam plebis rerum divinarum cognitionem auctam esse indicat. Novit enim Israelita voluntatem Dei et probat utiliora, instructus per legem²⁰⁾, et confidit, se ipsum esse ducem caecorum, lumen eorum, qui in tenebris sunt²¹⁾, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege²²⁾, docet alium, praedicat non furandum²³⁾, non moechandum, abominatur idola²⁴⁾. Ita lege edoctus Israelita bene sciebat, quid bonum quidve malum. Recte igitur Paulus „per legem“, inquit, „cognitio peccati“²⁵⁾, i. e. quid sit malum quaeve actio mala, non cognoscitur nisi per legem²⁶⁾. Nego equidem, aptius, quam expressit apostolus, veram naturam finemque legis exprimi potuisse. Primum enim jam in statu integritatis homo per legem ad cognitionem peccati pervenit. Lata enim lege sibi conscius factus est, liberi arbitrii dono se esse praeditum, ita ut legi non magis obtemperare quam resistere se posse sciret. Ita per legem cognovit, contra legem agi seu peccatum committi posse. Commisso vero peccato, quum lex nihilominus firmiter constaret et praecepta imponeret voluntati et homo cognosceret, se toto coelo abesse ab eo, quod lex cordi inscripta postulavit, idem per hanc ipsam legem cognovit suum peccatum vel intellexit, se esse peccatorem. Porro inde ab illo tempore minime eum fugere potuit, inesse animo appetitiones et inclinationes varias legis praecepto contrarias, sive, ut apostoli utar verbis, carnem concupiscere adversus spiritum, ita ut inde quoque facile colligere posset, naturam suam esse corruptam atque perversam et semetipsum esse peccatorem. Quod si jam de lege naturali, non minus valet de lege mosaica. Quum enim legis naturalis praecepta denuo animis inculcarent multaque antea incognita de natura boni et mali patefaceret, et ita Israelitis imaginem quodammodo divinam proponeret, ad quam se conformarent, factum est, ut culpae innatae et miserandae conditionis moralis conscientia, quae ingravescente malo magis magisque evanuerat, ita ut teste apostolo temporibus legislationem antecedentibus valde exigua esset — „sine lege enim“, inquit, „peccatum mortuum erat“²⁷⁾ — excitaretur et aleretur. Recte igitur apostolus „per legem“, inquit, „cognitio peccati“²⁸⁾ et alibi:

²⁰⁾ Rom. 2, 18. — ²¹⁾ Rom. 2, 19. — ²²⁾ Rom. 2, 20. — ²³⁾ Rom. 2, 21; ²⁴⁾ Rom. 2, 22. — ²⁵⁾ Rom. 3, 20. — ²⁶⁾ Rom. 7, 7. — ²⁷⁾ Rom. 7, 8. — ²⁸⁾ Rom. 3, 20.

„Peccatum non cognovi nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces“²⁹⁾. Eodem referendum est, quod alibi dicit: „Usque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset“³⁰⁾, quae verba nonnulli interpretes ita explicant, ut non de divina, sed de humana imputatione dicta sint. Hunc autem legis eventum sibi velut finem proposuisse legislatorem, ut mox videbimus, docet apostolus.

7. At non hunc solum finem Paulus legi assignavit. Fert enim ita, ut supra diximus, natura legis, ut non solum doceat, quid bonum quidve malum, veramque hominis conditionem moralem detegat et in conscientiam revocet, sed ut ad observanda singula praecepta homines impellat et ita a malo revocet et ad bonum perducat. Idem de lege mosaica valere legenti singula ejus mandata in promptu erit. Et quamvis peccatum penitus extinguere non posset, quum radicem et fontem omnium malorum delere non valeret, tamen sine ulla dubitatione data erat, ut vim peccati ingravescentis aliquatenus frangeret et, quominus in immensum cresceret peccatorum numerus, prohiberet, id quod ipsius apostoli verbis satis probari potest. Admonentur enim lege Israelitae, ut omnia ipsius praecepta accurate et diligenter custodiant. „Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur“³¹⁾. Gravissimas deinde poenas ii dabunt, qui non agunt secundum legis mandata³²⁾; lex data erat ad vitam³³⁾, erat igitur „sancta et mandatum sanctum et justum et bonum“³⁴⁾ et „spiritualis“³⁵⁾.

8. Haec igitur e sententia S. Pauli legis mosaicae natura erat et finis, ut quid bonum esset quidve malum doceret voluntatemque impelleret, ut evitaret³⁶⁾ hoc et perficeret illud. Quae quum apostolus traderet de natura, eventu et fine legis, jam aliqua saltem ex parte iis occurrit, qui ipsius verbis perperam intellectis opinari potuissent, legem ipsam per se malam esse fontemque peccati. Ad ceteras vero dubitationes supra commemoratas ita respondet, ut de malo legis eventu disserens simul statuatur, hujus eventus causam non in ipsa lege positam esse, sed in infirmitate malaque hominis voluntate. „Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem etc.“³⁷⁾. Quod quomodo fiat, fusius latiusque exponit Rom. 7, 7 sequ. Postquam enim de peccati sub lege imperio disseruit, de „lege mortis, in qua detinebamur“³⁸⁾ deque „passionibus peccatorum, quae per legem erant et in membris nostris operabantur, ut fructificarent morti“³⁹⁾, dubitatio ei movetur, an non, quae de ratione legem inter et peccatum intercedente dixerat, in opprobrium legis verti possit, quasi peccato faverit, quare quaestionem instituit: „Quid ergo dicemus? lex peccatum est“⁴⁰⁾? respondetque praecise negans rejiciensque talem conclusionem, illico suam sententiam expressurus. Lex, ait, tantum abfuit, ut peccata velut fructum necessarium proferret eliceretque, ut, quod bonum est, cognitionem efficeret peccati. „Peccatum non cognovi nisi per legem“⁴¹⁾. Homo enim sine lege non, ut opus est, cognosceret, appetitiones aliquot ex intimo pectore emergentes divinae voluntati et verae hominis naturae repugnantes ac proinde illicitas vitandasque esse, nisi et lex naturalis et hanc approbans inculcansque positiva ita esse eum doceret. „Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces“⁴²⁾. Dum autem ita lex, quae ejus est natura, mali bonique differentiam peccati tenebris obvolutam in conscientiae lucem edidit, aliud simul, quod malum erat, elicit, quod tamen non ex legis natura profluxit, sed ex causa accidenti, quae est hominis natura

²⁹⁾ Rom. 7, 7. — ³⁰⁾ Rom. 5, 13. — ³¹⁾ Rom. 2, 13. — ³²⁾ Gal. 3, 11. — ³³⁾ Rom. 7, 10. — ³⁴⁾ Rom. 7, 12. — ³⁵⁾ Rom. 7, 14.

³⁶⁾ Cf. I. Tim. 1, 9. Eodem referri possit, quod in epistola ad Galatas ait apostolus (3, 22. 23. 24), legem paedagogum fuisse in Christo. „Paedagogus enim“, inquit S. Hieronymus (Comm. in Gal. 3, 24), „parvulis assignatur, ut lascivius refrenetur aetas et prona in vitia corda teneantur, dum tenera studiis eruditur infantia et ad majores philosophiae ac regendae reipublicae disciplinas metu poenae exercita praeparatur. . . . Denique et nomen paedagogi et ipsum sonat et est compositum ab eo, quod pueros agat i. e. ductet. Itaque et Moysi lex populo lascivienti ad instar paedagogi severioris apposita est, ut custodiret eos et futurae fidei praepararet“. Et Ambrosius (Epistol. C. I. II. 74 n. 3): „lex severitatem gladii habet tanquam paedagogus baculum, ut imperfectae plebis infirmitatem poenae saltem denunciatione deterreat“.

³⁷⁾ Rom. 8, 31. — ³⁸⁾ Rom. 7, 6. — ³⁹⁾ Rom. 7, 5. — ⁴⁰⁾ Rom. 7, 7. — ⁴¹⁾ I. c. — ⁴²⁾ I. c.

corrupta seu, ut ait apostolus, peccatum (*ἀμαρτία*) in corde latens. Quod quamdiu praeceptum externum hominem non ad obediendum provocavit, „tanquam non esset, latebat, penitus ignorabatur, tanquam nescio in quibus tenebris sepultum“⁴³⁾. Lata autem lege revixit peccatum, i. e. innata voluntatis in malum inclinatio excitata nitebatur in vetitum. „Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat“⁴⁴⁾. Rei autem demonstrandae causa, quid ipse passus sit testatur, in omnes idem Israelitas tacita mentis cogitatione translaturus. Vivebat enim aliquando i. e. in infantia ante annos rationales⁴⁵⁾ sine lege, nesciens boni malique differentiam. Ubi autem ad annos discretionis pervenit et legem cognovit cordi innatam legemque externam, illico sibi conscius factus est, quot et quam diversae appetitiones et inclinationes huc et illuc in corde fluctuarent. „Ego autem mortuus sum, et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccatum, occasione accepta, per mandatum seduxit me et per illud occidit“⁴⁶⁾. Lex igitur, quae data erat, ut bonas animae inclinationes adjuvaret et dominantes redderet, malas vero coerceret et reprimeret, contrarium prorsus eventum habuit. Culpa tamen non legi tribuenda est, sed nimiae malarum inclinationum potentiae, quae quum non solum meliores appetitiones, sed etiam alterum boni propugnaculum, ipsam legem externam summi Dei voluntatem sanctam et inviolabilem annuntiantem, superaret, hominem multo magis peccatorum retibus ligarunt deterioremque fecerunt. Et quamvis lex ipsa sancta esset, et mandatum sanctum et bonum⁴⁷⁾, tamen, quominus peccata auferentur, prohibere minime valebat. Quam sancta sit lex quamque sanctum mandatum, ex hac ipsa inter varias animae inclinationes pugna optime cognoscit homo, adeo ut certo sciat, „quia lex spiritualis, ipse autem carnalis et venundatus sub peccato“⁴⁸⁾. „Quod enim operor, non intelligo. Non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem, quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum“⁴⁹⁾.

9. Tali modo omnem dubitationem sustulit, quasi docuisset, legem esse fontem peccati, et jamjam apparet, quo sensu legis praeceptis vires hominum pares esse negaverit. At dixerint forsitan Iudaei: Quae si ita se haberent et si esset perspicuum, legem quamvis per accidens id effecisse, ut excitata naturali hominis in malum inclinatione transgressionem pareret ac proinde peccata aufereret, cur tandem Deum legem dedisse putares, quam praevidit tantum malum esse effecturam? Numquid non melius se habuissent homines, si nunquam Dei voluntatem ex lege comperissent? Ad hanc objectionem apostolus respondet, ita demum fieri potuisse, ut Israelitae plane cognoscerent veram peccati naturam et quam miseri essent quamque debiles et impotentes ad bonum perficiendum. Quo magis enim legis observationi operam navarunt, eo clarius intellexerunt non solum, quantum abessent ab ea conditione morali, quam lex postulabat, sed etiam, crescente in dies peccatorum vi et numero, se ex vinculis peccati expediri non posse, nisi gratia sua intercederet misericors Deus. Unde factum est, ut toti miseriae suae sensu

⁴³⁾ August. ctr. duas Pelag. Epp. I., 9.

⁴⁴⁾ Rom. 7, 8; cf. 4, 15: „lex iram operatur“, ubi apostolus non iram Dei intelligi vult, sed iram hominis, utpote qui ira commoveatur, quum legis praeceptis hoc et illud a se posci et ita liberum suum arbitrium limitibus circumscribi videat.

⁴⁵⁾ August. ctr. duas epp. Pelag. I. c. 9; cf. Hieron. ep. ad Algasia Q. VIII.: Hanc legem nescit pueritia, ignorat infantia, et peccans absque mandato non tenetur lege peccati . . . Quum autem mandatum venit, hoc est, tempus intelligentiae appetentis bona et vitantis mala, tunc incipit peccatum reviviscere, et ille mori reusque esse peccati. Atque ita fit, ut tempus intelligentiae, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam, operetur in nobis mortem.

⁴⁶⁾ Rom. 7, 10. — ⁴⁷⁾ Rom. 7, 12. — ⁴⁸⁾ Rom. 7, 14. — ⁴⁹⁾ Rom. 7, 15. 16. 17. sq.

perfunderentur et propriis viribus diffusi a solo Deo liberationem desiderarent et ita praepararentur et disponerentur ad salutem in Christo consequendam⁵⁰).

10. Duo igitur apostolus praecedenti expositione assecutus est; primum enim evicit, peccati causam non in lege ponendam esse, sed in hominis infirmitate morali, tum autem, legem eo ipso, quod augendorum peccatorum ansam dedisset, multo majorem peccatorum cognitionem et conscientiam majusque futurae redemptionis desiderium excitasse et aluisse. Ita revera lex facta est paedagogus in Christo, ut ait apostolus⁵¹).

Si quae S. Paulus de eventu morali legis mosaicae disseruit, animo recolis, vix potes, quin ita afficiaris animo, ut credas, legem finem illum quidem, quem ei legislator proposuerat, minime assecutam esse, Deum vero pro sua sapientia et bonitate ita omnia disposuisse atque ordinasse, ut vel ex malo illo eventu bonum homines perciperent fructum. At poterit aliquis dicere: Ergone Deus periculum fecit, legis auxilio vim peccatorum frangendi et innatam homini ad bonum inclinationem roborandi perducendique ad imperium, postea vero, re infelice procedente, hoc quasi ultimo subsidio usus est, ut alia et longinquiore via ad finem sibi propositum perveniret? Numquid licet tale quid de Deo sentire? Numquid licet sumere, ita Dei consilia irrita facta esse, ut lex alium prorsus eventum haberet, quam qui a legislatore fuit intentus?

11. Cui objectioni ut occurrat apostolus, eo perductus est, ut diceret, Deum minime hunc legis eventum malum postea demum bene vertisse, sed statim ab initio secure praevisum aeterno suo consilio comprehendisse et ita quodammodo ut finem sibi proposuisse, id quod ita exprimit, ut affirmet, legem datam esse transgressionum gratia⁵²) vel eo ipso consilio, ut auget peccatum seu abundaret delictum⁵³), quum hoc modo alium illum finem assequi niteretur, ut, quemadmodum peccata auferentur, ita simul auferetur peccatorum conscientia et desiderium futurae redemptionis cresceret, vel, ut apostoli utar verbis, „ut fieret supra modum peccans peccatum per mandatum“⁵⁴); ut videret aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suae et captivantem se in lege peccati⁵⁵), et ut miseriae suae sensu penitus perfusus exclamaret: „Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus“⁵⁶)? Dura sane et vix ferenda sententia! Licetne facere mala, ut veniant bona⁵⁷)? An ubi finis est licitus, etiam media quaevis sunt licita? An licet permanere in peccato, ut gratia abundet⁵⁸)? Nonne ipse Deus hunc legi assignans finem auctor aut saltem consors et socius factus est mali?

Restat, ut videamus, quomodo Paulus ad has objectiones responderit. Negat primum, „legem esse peccatum“⁵⁹), quamvis peccata auxerit, et, ut supra demonstravimus, subtili expositione evincit, malam voluntatem male usam lege peperisse peccatum. Objicientibus autem, si ex peccato illud proveniat bonum, ut non solum augeatur peccati conscientia crescatque desiderium futurae redemptionis, sed etiam superabundet gratia⁶⁰), licere, immo laudabile esse, permanere in peccato, ut omnium horum bonorum participes fiamus, ita respondet, ut hanc conclusionem omnino rejiciat. „Quid ergo“, inquit, „dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo“⁶¹)? Et admonet Romanos, ut accepta per baptismum remissione peccatorum, in novitate vitae ambulent (v. 4) neve ultra serviant peccato (v. 6)⁶²).

Alio jam loco⁶³) S. Paulus opportunitate usus est, animos Romanorum ad illud advertendi, quomodo haud raro ex malo bonum procedat. Ita infidelitatem Iudaeorum id effecisse, ut Dei justitia clariore in luce appareret. Unde illico adversarios suspicatur concludere posse et revera conclusisse

⁵⁰) Cf. Rom. 7, 23. 24. 25: „Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum“.

⁵¹) Gal. 3, 22. 23. 24. — ⁵²) Gal. 3, 19. — ⁵³) Rom. 5, 20. — ⁵⁴) Rom. 7, 13. — ⁵⁵) Rom. 7, 23. — ⁵⁶) Rom. 7, 24. ⁵⁷) Rom. 3, 8. — ⁵⁸) Rom. 6, 1. — ⁵⁹) Rom. 7, 7. — ⁶⁰) Rom. 5, 20. — ⁶¹) Rom. 6, 1. 2. — ⁶²) Cf. Rom. 6, 12. 13. ⁶³) Rom. 3, 3. sq.

testatur⁶⁴): Si ergo ex malo provenit bonum, illud jam quodammodo desinit esse malum, vel si Deus pro sua bonitate et sapientia ex injustitia nostra sibi bonum scit parare, hoc ipso culpa nostra si non tollitur, tamen minuitur, et Deus jam non debet tam severe animadvertere in peccata nostra, quinimmo licet et laudabile est facere mala, ut bona inde sequantur⁶⁵). Hanc quoque conclusionem expresse rejicit apostolus simul ostendens, quam sit absurda ista sententia, qua omnis religio ac justitia evertatur⁶⁶), innuensque, peccati fontem non in Deo, sed in sola hominis perversa voluntate quaeri debere.

12. Ita S. Paulus omnes illas quidem conclusiones falsas, quae ex eo, quod de fine legis mosaicae dixerat, deduci potuerunt, reprobat ac rejicit, nusquam tamen invenio, eum ipsam illam sententiam, quam juste duram vocare possis, retractasse. Nonne inde sequitur, ut eam bene cum sanctitate et justitia legislatoris concordare crediderit? Nonne inde simul elucet, apostolum plus dicere voluisse, quam infirmitate hominis aucta esse peccata? Quare etiam sacrae scripturae interpretes non aliter sibi judicandum arbitrati alii alia incedentes via, recte ita Paulum docuisse, evincere nitebantur.

Forsitan quis dixerit, apostolum nimio disputandi ardore abreptum esse ad duram hanc sententiam, mox tamen eam missam fecisse. Studio enim ductus, quaecumque fiunt, ad Dei voluntatem referendi et absolutam Dei in largiendis gratiis libertatem premendi atque urgendi, eo usque processit, ut non multum abesset, quin Deus malarum etiam hominis actionum auctor factus esse videretur. Et quasi suspicatus, quae dixerat perperam intelligi et falsarum conclusionum ansam dare posse, non solum hasce rejicit, sed etiam alio loco ea qua par est perspicuitate de necessitudine, quae inter legem peccatumque intercedat, disputat. Quae autem hic clare ac dilucide affert, et veram ejus sententiam exprimere, et rectam et quasi authenticam locorum illorum obscurorum interpretationem continere videntur, ita quidem ut lege lata aucta sint peccata non nisi vitio malaque hominum voluntate, quum occasionem ex lege sibi arriperent. Quare si apostolus illic nimis dure et obscure, hic vero praecise et perspicue de eadem re disputat, jam nobis non licere conjicias, illis locis magnam tribuere vim et auctoritatem indeque deducere, quae nec cum locis nulli dubitationi obnoxii concordant, neque cum tota S. Pauli de hac re doctrina. Qui enim sane atque prudenter interpretatur, non ex obscuris et indeterminatis clara et manifesta, sed ex claris et manifestis obscura et indeterminata explicat. At nulla esse videtur haec difficultatum solutio, quum, si ea tibi probaretur, apostolus nimiae audaciae ac temeritatis argueretur. Quid quod, ut mox patebit, alia superest interpretandi via ac ratio eaque menti S. Pauli magis congrua!

13. Quum apostolus Rom. 5, 20 et Gal. 3, 19 finem legi propositum esse dicat, quae Rom. 7, 7 sq. et Rom. 8, 3 eventum ex infirmitate carnis profluentem esse ostendit, non pauci veterum sacrae scripturae interpretum hos etiam locos non de fine (*τελετικῶς*), sed de eventu (*ἐκβατικῶς*) ac proinde particulam „*ἵνα*“ ita accipiunt, ut non finalem causam, sed eventum denotet. Ita Chrysostomus⁶⁷), Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Thomas Aquinas⁶⁸), Cornelius a Lapide, alii, quos recentiores aliquot sunt secuti. Quo jure nescio. Primum enim non convenit inter grammaticos,

⁶⁴) Rom. 3, 8.

⁶⁵) Rom. 3, 5: „Si iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram“? v. 7. 8: „Si veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc et ego tanquam peccator judicor? Et non . . . faciamus mala, ut veniant bona“?

⁶⁶) Rom. 3, 6. 8.

⁶⁷) Comm. in Rom. 5, 20: *τὸ δὲ ἵνα οὐκ αἰτιολογίας πάλιν, ἀλλ' ἐκβάσεως ἐστίν, οὐ γὰρ διὰ τοῦτο ἐδόθη, ἵνα πλεονάσῃ, ἀλλ' ἐδόθη, ὥστε μειῶσαι καὶ ἀνελεῖν τὸ παράπτωμα, ἐξέβη δὲ τὸναντίον οὐ παρὰ τὴν τοῦ νόμου φύσιν, ἀλλὰ τὴν τῶν δεχομένων ἁθυμίαν.*

⁶⁸) Comm. in Gal. 3, 19: Et haec etiam causa potest ex his verbis accipi, ut dicatur, quia lex posita est propter transgressionem adimplendas, quasi illo modo loquendo, quo apostolus dicit Rom. 5, 20: Lex subintravit, ut abundaret delictum, quod non est intelligendum causaliter, sed consecutive, quia subintrante lege abundavit delictum et transgressionem sunt multiplicatae.

an particula „*ἵνα*“ consecutive debeat intelligi⁶⁹), tum autem supra jam indicavimus, apostolum revera Iudaeorum objectionibus et sua de operatione divina opinione eo deductum esse, ut ita de legis fine loqueretur.

Similiter etiam nonnulli illud „*τῶν παραβάσεων χάριν*“ (Gal. 3, 19) ita intellexerunt, quasi apostolus affirmasset, legem datam fuisse peccatorum coercendorum gratia vel propter transgressiones terrore et minis coercendas, ut saltem metu retraherentur homines a manifestis transgressionibus. Ita Chrysostomus⁷⁰), Theophylactus, Oecumenius, Hieronymus, inter recentiores Cornelius a Lapide, Rückert, Baur⁷¹). Hi quoque errasse videntur; nam etsi verborum conformatio hanc sententiam non excludit, tamen illud „*χάριν*“ repugnat, quod revera nihil aliud significare potest nisi „gratia“ seu „in favorem“ i. e. augendorum peccatorum gratia. Recte igitur Estius S. Augustini illud: „Transgressionis gratia posita est lex“ laudans observat: „Iam quod alicujus gratia fit, non fit ad ejus destructionem, sed profectum“⁷²).

14. His aliisque permoti causis nonnulli interpretes et veteres et recentiores non dubitarunt verbis „*ἵνα*“ et „*χάριν*“ illam tribuere vim, quam grammatica iis vindicat, et asserere cum apostolo, legem a Deo revera datam fuisse, ut augetur peccata⁷³), ita tamen, ut peccatum prius in anima latens legis auxilio veluti morbus quidam occultus eliceretur et, ut palam se ostenderet, cogeretur. Nam peccatum, quamvis ante legem mortuum esset, i. e. non manifestaret se actionibus malis ideoque non cognosceretur, tamen exstitit latuitque in anima⁷⁴). Huic autem morbo ea erat medela afferenda, ut venenum in occulto serpens per venas deprehenderetur manifesto, apertaque ipsa ejus fieret natura. Quo spectare videtur Rom. 7, 13: „Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum“. Neque alia sententia subesse videtur verbis Rom. 5, 20: „Ut abundaret delictum“, quam haec, homines hoc modo sibi conscios fieri peccati. Nam verbis, quae continentur versu 13: „Usque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset“ conditio peccatoris lege nondum lata statui, qui ex lege obtinuerit (v. 20), opponitur. Quum autem in illa hominis conditione peccatum non cognitum fuisse dicat, consequens esse videtur, ut hoc loco (v. 20) illud tantummodo ex tenebris in cognitionem venisse affirmet, ita ut illud „*τὸ πλεονάζειν*“ idem significet atque in conscientiam cadere⁷⁵). Sed haec quoque interpretatio nulli obnoxia esset dubitationi, si ostendi posset, illa externa interni peccati manifestatione, qua efficitur, ut homo eo magis sibi conscius fiat peccati culpaque, ipsum peccatum non augeri in culpa vel in gradu, id quod nemo facile contendet. Primum enim quum illud tantum verum ac proprium sit peccatum,

⁶⁹) Winer, Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms, 6. Aufl., S. 406 ff.

⁷⁰) Comm. in h. l.: *τοντέστιν ἵνα μὴ ἐξῆ Ἰουδαίους ἀδεῶς ζῆν καὶ εἰς ἔσχατον ἐξολισθαίνειν κακίας, ἀλλ' ἀντὶ χαλινοῦ ὁ νόμος αὐτοῖς ἐπιχειμένος ἢ παιδεύων, θυμίζων, κωλύων παραβαίνειν, εἰ καὶ μὴ πάσας, ἀλλ' ὅμως κἂν ἐκ μιᾶς τῶν ἐντολῶν, ὥστε οὐ μικρὸν τὸ κέρδος τοῦ νόμου.*

⁷¹) Baur, Paulus der Apostel Jesu Christi, S. 574. 581. — ⁷²) Comm. in Gal. 3, 19.

⁷³) Ita Augustinus: Superbienti ergo, inquit, populo lex posita est, ut quoniam gratiam caritatis nisi humiliatus accipere non posset, et sine hac gratia nullo modo praecepta legis impleret, transgressione humiliaretur, ut quaereret gratiam, nec se suis meritis salvum fieri, quod superbum est, opinaretur: ut esset non in sua potestate et viribus justus, sed in manu mediatoris justificantis impium.

⁷⁴) Rom. 7, 8; cf. Chrysost. in h. l.: *νεκρά, τοντέστιν οὐχ οὕτω γνώριμος· ἤδεσαν μὲν γὰρ καὶ οἱ πρὸ τοῦ νόμου, ὅτι ἡμαρτον ἀκριβέστερον δὲ ἔμαθον μετὰ τὴν τοῦ νόμου δόσιν.* Windischmann, Erklärung des Briefes an die Galater S. 84: Es sollte das Gesetz die Sünde als solche erkennbar und fühlbar machen, sie als das zeigen, was sie wirklich ist, und den Zustand geistigen Todes und völliger Lethargie zu der Vorstufe der Heilung bringen, wo die Sünde wenigstens in dem Schmerz und der Furcht des Gewissens lebendig ist. Olshausen (vgl. Rothe, neuer Versuch einer Auslegung der Paulinischen Stelle Röm. 5, 12—21 S. 168): Er denkt sich das Gesetz wie eine wohlthätige Arznei, die eine in den innern edlen Theilen unerkannt wüthende Krankheit nach aussen her austreibt. Idem fere statuunt Thomas, Catharinus, Estius, Meyer, alii. — ⁷⁵) Cf. Rothe, l. c. p. 175.

quod cognoscitur, nonne sequitur, ut, quod hanc peccati scientiam efficit, ipsum demum peccatum quodammodo pariat, et quod auget scientiam, simul augeat et peccatum, nulla ignorantiae excusatione sublevante? Tum autem, dum per legem elicitur peccatum (*ἁμαρτία*), ut se manifestet malis actionibus (*παραπτώματα*), simul crescit etiam internum peccatum, ut apostolus non obscure indicat Rom. 7, 13, ubi dicit, peccatum in corde latens occasione mandati factum esse „supra modum peccans peccatum“ et in apertam praevaricationem impulsisse, et Rom. 5, 21, ubi illud „τὸ πλεονάσαι“ definit fuisse „βασιλεύειν τῆς ἁμαρτίας ἐν τῷ θανάτῳ“, denique v. 20, ubi aperte dicit, abundante transgressione (*παραπτώματα*), simul abundasse peccatum (*ἁμαρτία*). Quare quum lege lata non solum transgressiones formales efficerentur, sed etiam peccatum internum augetur ac proinde homines ut magis sibi peccatorum consci, ita etiam deteriores evaderent, nonne Deus, qui legem tulit, auctor aut saltem consors sociusque peccati? Respondent ad hanc dubitationem interpretes, nihil effici hac objectione, quum lex non radicem ponat peccati, sed nonnisi fructus ejus ostendat⁷⁶⁾. Neque enim per legem ipsam aucta esse peccata, sed ex occasione legis seu per accidens; Deum non effecisse, sed permisisse lege lata, ut homines suis viribus nimis fidentes in legem impingerent ejusque transgressores fierent et legis occasione peccata augerent⁷⁷⁾. Alii, inter quos Rothe⁷⁸⁾, Rueckert⁷⁹⁾, non vident omnino, hic magnam esse difficultatem, dummodo ne statuatur, Deum proposuisse peccatorum incrementum legi tanquam finem ultimum. Rectius mihi illi quam hi ratiocinati esse videntur, quamvis ne ita quidem omnis dubitatio sit sublata, quum facile quis dicere possit: Si Deus tam infelicem eventum fore legis praevidit, cur tandem tulit legem, quum praesertim Israelitas aliis certe et innumeris modis eo perducere posset, ut sibi consci fierent peccatorum et redemptionis gratiam enixe desiderarent?

15. Equidem nescio an caput IX. ad Romanos epistolae huic quaestioni tam difficili ac subobscurae lucem aliquam afferre possit, ubi non dissimili modo Dei operatio et hominis peccatum inter se conjunguntur. Ut enim apostolus ostendat, Deum non injuste egisse, quamvis permulti Israelitae, „quorum est adoptio filiorum et gloria et testamentum et legislatio et obsequium et promissio“⁸⁰⁾, ad justitiam in Christo non pervenerint, provocat ad plenam in largiendis denegandisque gratiis libertatem Dei, qui teste sacra scriptura ex solo voluntatis suae arbitrio, nulla meritorum ratione habita, Iacob elegerit⁸¹⁾, Esau vero ad servitium praedestinaverit⁸²⁾, neque tamen injustitiae argui possit. Deinde, quod maximi momenti est, subjungit: „Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei“⁸³⁾, et exemplo Pharaonis allato: „Ergo cujus vult, miseretur, et quem vult, indurat“⁸⁴⁾. In orationis contextu haec verba procul dubio hunc habent sensum: Deus Pharaoni minime denegavit gratiam suam neque regno eum neque potestate Iudaeos opprimendi et in servitute retinendi privans, sed novis in dies portentis et miraculis admonuit, ut Israelitis proficiscendi potestatem faceret. Qua ratione Pharaon non modo non facilius, sed multo pertinacior evasit. Quaerenti vero, quis auctor fuerit obstinati Pharaonis animi, non haesitabis, quid respondeas, praesertim quum sacra scriptura aliis locis⁸⁵⁾ aperte dicat, ipsum Pharaonem, neglectis Dei monitis et minis, cor suum indurasse. Et revera gratiam suam largiens boni aliquid fecit Deus voluitque regem ad obsequium perducere, nullaque ratione obstrictus fuisse censendus est, ut a gratiis largiendis desisteret. Si nihilominus eventus divinae operationis alius prorsus fuit, quam qui fuerat intentus, Pharaoque magis magisque induratus est, non

76) Windischmann l. c. p. 84: Der Einwurf, dass Gott hiemit selbst Urheber der Sünden sei, ist nichtig, da ja das Gesetz nicht die in der Erbsünde liegende giftige Wurzel der Sünde schuf (Röm. 5, 13), sondern ihre Früchte offenbarte.

77) Estius, Comm. in Gal 3, 19.

78) l. c.: Eine solche Steigerung der Sünde aber als göttliche Absicht, nur nicht als die letzte und absolute Absicht bei seiner Behandlung der sündigen Menschheit, zu denken: warum diess bei einem reinen Gottesbegriff Schwierigkeiten involviren soll, bekennen wir nicht zu verstehen.

79) Cf. Baur l. c. p. 574. — 80) Rom. 9, 4. — 81) Rom. 9, 11, 12. — 82) Rom. 9, 13. — 83) Rom. 9, 16. — 84) Rom. 9, 18. — 85) Exod. 8, 15.

sane gratia in causa fuit, sed regis mala voluntas. Gratiae efficacia se habet ut lucis calorisque effectus. Eadem enim solis luce oculus incolumis suaviter afficitur, aegrotus vero acerbissimo dolore cruciatur et extinguitur, et solis lux per se bona est nec mutatur ejus natura nec desinit esse bona, quamvis oculus male se habens patiatur et tandem exstinguatur⁸⁶). Similiter etiam voluntas Dei gratiam largientis etsi semper bona, sancta, malo inimica, tamen varios atque adeo inter se oppositos effectus habet idque pro conditione hominis, cui gratia datur. Recte igitur scriptura testatur, Pharaonem se ipsum indurasse. Quod quamvis verum sit, nihilosecius dici potest, Deum hujus obstinationis et malitiae auctorem fuisse. Si enim Deus a monitis illis ac minis, quorum malum praevидit eventum, destitisset, non tantam contraxisset Pharaon culpam, et si miraculorum ac prodigiorum numerum minisset, aequae minuta esset et culpa. Penes Deum igitur potestas erat vel minuendae regis culpa, vel augendae. Quum igitur Deus facultatem haberet operandi, aut non operandi, et altera ex parte, quamvis certo praevideret, quam malum eventum habiturae essent gratiae datae, nihilominus gratiae dona tribueret, jure quodam dici potest, malum hunc eventum Dei consilio simul fuisse comprehensum, quum, ut iterum dicam, operaretur, ubi nulla erat operandi necessitas⁸⁷). Tale quid objici posse, ipse apostolus sensit, quare quaestionem movit: „Dicis itaque mihi: Quid adhuc quaeritur? voluntati enim ejus quis resistit“⁸⁸)? Poterat respondere, Deum juste queri de peccatoribus, quod propriae voluntatis electione peccarent, quum possent non peccare, liberum habentes arbitrium⁸⁹). At non ita apostolus; et quasi senserit, ita non omnem dubitationem tolli, alia ingreditur via. Provocat ad absolutam Dei in largiendis gratiis libertatem⁹⁰) et silentium imponit lectori ita quaerenti, quum non fas sit creaturae nimiae cognitionis et scientiae cupiditate indulgenti scrutari, cur Deus hunc elegerit, illum reprobarit, simul significans, hominem non valere omnimodo secreta Dei consilia perspicere et dicere, cur Deus ita et non aliter egerit. Et revera non omnia Dei consilia plana sunt et aperta; sunt quaedam occultissima et quasi tenebris quibusdam involuta, quae qui perscrutanda et rationis luce illustranda susceperit, mox intelliget, mentis humanae vires artis limitibus esse circumscriptas. Interdum vero his jam in terris, quo Dei consilia spectent, intelligere licet, saepe etiam ipse Deus, quid voluerit, indicat. Ita Pharaonem, ut ait apostolus sacra innixus scriptura⁹¹), quamvis indignum sustinuit, ut ostenderet in eo virtutem suam divitiasque gloriae suae, et Israelitas hisce bonitatis suae documentis quasi vinculis sibi obstringeret. Quod et evenisse, sacra docemur historia. Quae enim fecerat Deus in Aegypto, ita animos Israelitarum movit, ut horum beneficiorum recordatio nunquam deleri posset, et toto corde ipsi adhaerent Deo suo. Ita etiam in Esau rejecto et tot Israelitis ad salutem non perductis nihil aliud Deum spectasse indigitat apostolus, nisi ut „ostenderet iram suam et notam faceret potentiam suam“⁹²). Ceterum apostolus (v. 31 et 32) Israelitas ideo dicit excidisse e salute, quod justitiam ex lege sectati fuerint, ipsos ergo suae miseriae esse auctores. Inde apparet, duas Paulum afferre causas, cur Pharaon et Israelitae permulti perierint: Dei in largiendis gratiis absolutam libertatem occultaque ejus consilia, et propriam hominum culpam.

⁸⁶) Cf. Hieron. ep. ad Hedib. Q. X.: Alioquin unus est solis calor et secundum essentias subjacentes alia liquefacit, alia indurat, alia solvit, alia constringit. Liquatur enim cera et induratur lutum, et tamen calor non est diversa natura. Sic et bonitas et clementia Dei vasa irae, quae apta sunt in interitum i. e. populum Israel, indurat.

⁸⁷) Cf. Reischl, die heiligen Schriften des neuen Testaments, S. 647, Not. t.: Gilt es nun eine Ursache, welche frei, ob sie (ihrem Wesen entsprechend) in einem Falle wirken will oder nicht, zugleich ihres Wirkens thatsächlichen Erfolg mit unfehlbarem Wissen voraussieht, so darf, wenn sie auch dann wirkt, wo sie voraussieht, dass der Erfolg selbst ein ihrem (ersten) eigentlichen Wollen entgegengesetzter sein wird, dennoch gesagt werden, dass auch dieser (schlimme) Erfolg, obgleich nicht durch das, was wirkt, sondern durch das, auf was gewirkt wird, herbeigeführt, um höherer Zwecke willen schon mit in der Absicht dieser wirkenden Ursache einbeschlossen war, eben weil sie wirken wollte da, wo sie auch hätte nicht wirken müssen.

⁸⁸) Rom. 9, 19. — ⁸⁹) Estius, Comm. in h. l. p. 286. — ⁹⁰) Rom. 9, 11. 12; cf. II. Tim. 1, 9. — ⁹¹) Exod. 9, 16. — ⁹²) Rom. 9, 23.

16. Hanc inter S. Pauli disceptationem nostramque quaestionem quae sit statuenda similitudo, facile intelligitur. Lex enim mosaica gratia Judaeis gratis data habenda est ac proinde, ut fert natura gratiae, non potuit non bona esse et in bonum finem data. Cur nihilominus moralem Israelitarum conditionem in pejus verterit, hic quoque duas affert causas: malam Israelitarum voluntatem et secretum Dei consilium. Ostendit enim Rom. 7, 7. sq., quomodo occasione legis per malam hominis voluntatem obtinuerit et creverit peccatum. Altera vero ex parte affirmat, legem eo spectasse, ut auget peccata, Deum ergo quodammodo auctorem fuisse peccati. Quum enim nulla cogente necessitate illam poneret causam, ex qua per accidens tanta mala emanatura esse praevidit, hic quoque dicere licet, Deum malum illum eventum certe praevisum in aeterno suo consilio constituendo respexisse, et hoc sensu jure dicere potuit S. Paulus, legem transgressionum gratia latam fuisse vel id secutam esse, ut auget peccata. Jam si quaeris, quam ob rem Deus, praeviso malo illo eventu, non abstiterit a legislatione, quum dubitare non liceat, alia etiam via Israelitas eo perducere potuisse, ut peccatorum suorum conscii sibi fierent et desiderio futurae redemptionis implerentur, primum ita respondet apostolus, ut provocet ad libertatem Dei in largiendis donis et secreta ejus consilia. „Conclusit Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur“⁹³), et quasi causam hujus rei allaturus subjungit: „O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? Aut quis prior dedit illi, et retribuetur ei“⁹⁴)? Deinde vero periculum facit, arcana illa consilia perscrutandi Romanisque demonstrandi, qua permotus causa legem Deus tulerit. Quumque abrogata jam lege vitam degeret et ipse christianae veritatis luce illustratus oculos referret ad Israelitarum vitam, qualem se sub legis imperio formaverat legisque finem et eventum inter se conferret, eo perductus est, ut doceret, Deum, quamvis peccata auctum iri praevidisset, nihilosecius dedisse legem, quum hoc modo Israelitas ad profundiorum peccatorum suorum intelligentiam et ad ardentius redemptionis desiderium perducere posse sciret, et ita malum illum legis eventum, respectu habito maximi boni inde emanantis, aeterno suo consilio comprehendisse et hoc sensu revera intendisse.

Haec mihi vera S. Pauli de fine legi mosaicae proposito doctrina esse videtur, quam, si apostolum laudibus ornare liceat, profundam vocaverim ac subtilem. Nec tamen hic tacendum arbitror, talem de legis fine opinionem neque in ipsa lege usquam inveniri, neque a legislatore neque a prophetis saepissime de lege disserentibus prolatam defensamque esse. Sine dubitatione hi omnes, si quis quaesiisset, illum legi scopum assignassent, quem supra naturalem cujusvis legis positivae finem esse cognovimus, qui non est alius, quam ut ad bonum perducatur et peccata coerceat ac tandem superet. Quo legem etiam mosaicam revera spectasse, omnia ejus mandata et moralia et caerimonialia et judicialia perlustranti facile patebit. Ne ipsius quidem Iesu Christi de lege dictis haec S. Pauli doctrina niti posse videtur. Immo quaerere licet, ipsene in hanc incidisset opinionem, nisi assiduis cum Iudaeis de lege disputationibus eo perductus fuisset. Demonstrandum enim ipsi erat, omnem omnino mosaicam institutionem id secutam esse, ut Iudaei praesertim in moribus ad salutem in Christo consequendam praepararentur. Quum autem videret, eo non pervenisse Israelitas, nec tamen concedere posset, ita Dei consilia irrita facta esse hominum malitia, huncque morum statum praeter voluntatem Dei obtinuisse, in hanc adductus est sententiam, ut assereret, Deum malum quoque illum eventum aeterno suo consilio comprehendisse, ut auctis peccatis augetur etiam peccatorum cognitio et redemptionis desiderium, atque ita finis legis naturalis eo perfectiori modo apprehenderetur. Hoc modo apostolus repugnantiam illam inter finem legi propositum et eventum, quem revera habuerat, explanavit.

⁹³) Rom. 11, 32. — ⁹⁴) Rom. 11, 33. 34. 35.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Theologiam pastoraalem docebit quotidie hora VIII.
- II. Repetitiones de rebus theologicis instituet horis definiendis.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

- I. Introductione in studium theologicum praemissa tradet Apologeticen diebus Lunae et Mercurii hora II, Saturni hora X.
- II. Doctrinam de generis humani Redemptione et de Redemptoris gratia exponet diebus Lunae, Martis Mercurii, Jovis, Veneris hora X.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. E.

- I. Theologiae moralis partem specialem docere perget diebus Martis, Mercurii, Jovis, Veneris hora IX.
- II. Antiquitates ecclesiasticas tradet diebus Lunae et Saturni hora IX.
- III. De arte ecclesiastica et profana disseret bis per hebdomadem horis definiendis.

Lic. Hugo Weiss.

- I. Psalmos interpretabitur diebus Martis, Jovis, Saturni hora VIII.
- II. Utramque S. Pauli ad Corinthios epistolam explicabit diebus Lunae Mercurii, Veneris hora VIII.
- III. Antiquitates sacras Hebraeorum tradet bis per hebdomadem horis definiendis.
- IV. Exercitationes Syriacas instituet semel per hebd. hora definienda.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O. h. t. Decanus.

- I. Quater per hebdomadem hora IX. docebit logicen.
- II. Bis eadem hora docebit Anthropologiam.
- III. Bis horis definiendis interpretabitur Platonis Theaetetum.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

- I. Physicen docebit experimentisque illustrabit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Lunae, Martis et Jovis hora XI.
- II. Astronomiae elementa ita explicabit, ut ab iis etiam, qui mathesi sublimiori discendae non dederunt operam, intelligi possint, diebus Mercurii et Veneris hora XI.
- III. Theoriam sectionum conicarum explanabit diebus Lunae et Jovis hora II.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiam medii aevi inde a Carolorum exitu tradet ter per hebd. hora VIII.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebdomadem hora VIII.
- III. Praemissa universa de linguarum scientia disputatione primordia ac fata linguae Theotisceae exponet semel per hebd. hora VIII.

Dr. Guil. Weissbrodt, P. P. E.

- I. Latine disputandi exercitationes semel per hebdomadem instituet hora IX.
- II. Sophoclis Oedipum Tyrannum et Oedipum Coloneum ter hora IX.
- III. Ciceronis de legibus libros bis per hebdomadem hora IX. interpretabitur.
- IV. Res sacras Romanorum bis per hebdomadem enarrabit.

Dr. Jos. Krause.

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebdom. hora X.
- II. Logicam et noëticam docebit quater per hebdom. hora X.
- III. Paedagogicem tradet bis per hebd. horis definiendis.
- IV. Historiam philosophiae enarrare perget bis per hebd. horis definiendis.
- V. Aristotelis Metaphysicem interpretabitur semel per hebdom. hora definienda.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest Prof. Dr. Menzel, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II.—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit Prof. Dr. Feldt.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Fritz Heibel, F. R. G. h. e. h. e.

- I. Götter- und Heroenkultus nach den Quellen.
- II. Die Götter der römischen Antike.
- III. Die Götter der germanischen Antike.

Dr. Paul Feiler, F. R. G.

- I. Die Götter der germanischen Antike.
- II. Die Götter der römischen Antike.
- III. Die Götter der griechischen Antike.

Dr. Leo Heibel, F. R. G.

- I. Die Götter der germanischen Antike.
- II. Die Götter der römischen Antike.
- III. Die Götter der griechischen Antike.

Dr. Carl W. Schmidt, F. R. G.

- I. Die Götter der germanischen Antike.
- II. Die Götter der römischen Antike.
- III. Die Götter der griechischen Antike.

Dr. Leo Wagner

- I. Die Götter der germanischen Antike.
- II. Die Götter der römischen Antike.
- III. Die Götter der griechischen Antike.

Fritica doctrinae subditis.

Diebstahl des Herrn

Diebstahl des Herrn... (faint text)